0159
0157
0163
0153
0168
0148
0208
0108
0258
0058
0658
Ende
Anfang

nobiscum ad mare et ad defendendum. Dedimus ergo eis certos madinos, quos accipientes stabant contenti, et nos eramus quieti et securi. Eduximus ergo de sacculis nostris ea, quae in Jerusalem praeparavimus, et viascos cum vino, et comedimus et bibimus, Ductori etiam nostro et Arabibus paximatios dedimus, monachi vero apportaverunt nobis aquam frigidam pro pedum lotione et potione. Post refectionem et refocillationem ingressi sumus ecclesiam, et adorato Domino indulgentias septennes accepimus (†) et ingressi ad sepulchrum S. Sabbae oravimus. Hoc sepulchrum vacuum esse credo, quia Venetiis corpus illius Sancti quiescit, ut patet fol. 40. Visis ergo his domini peregrini in umbra super humum prostrati dormierunt, ego vero nullatenus dormire nec quiescere poteram, sed solus evagatus sum per universa monasterii loca in valle et supra, et cavernas et tuguria antiquorum sanctorum monachorum perlustravi cum multa ammiratione, et cum periculo casus in ascensu et descensu, per scopulos et rupes, et ruinas antiquorum aedificiorum. Sed et hoc periculum mihi accidit in illa solitaria evagatione: veni ad quendam strictum transitum, qui est juxta cellam S. Sabbae, ubi rupi paries eminet ab una parte, ab alia autem parte nihil est nisi horribile patens praecipitium, vel supercilium petrae, et per illum **(237 A)** transitum non potest nisi unus homo transire, et non dico simul et simul, sed unus cum cautela, ne labatur deorsum. In hoc transitu obvium habui unum Christianum orientalem, qui forte erat famulus monasterii. Hic cum vidisset me, processit contra me, cum tamen bene retrocessissem, et ut vidit me paventem, coepit mecum jocari, ac si vellet me in voraginem praecipitare, cumque signis, quibus poteram, eum peterem, ut me cum pace transire permitteret, non acquievit, sed significavit mihi, quod me praecipitare vellet, nisi sibi pecuniam darem. Hoc audito bursam aperui, et sibi unum madinum dedi, quem accipiens dimisit me. Ab illa hora et deinceps horrui illorum Christianorum consortium amplius quam Sarracenorum aut Arabum, et minus eis confisus fui. Et quamvis ille forte non praecipitavisset me, etiamsi nihil dedissem sibi, nequam tamen fuit in eo, quod lusit cum homine, quem prius numquam viderat, in loco tanti periculi,

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;